



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

26. Quo veritatis impulsu, nos vbique accusare possimus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

*Homil. 44.* corripe, me exerce, me tenta, me trabe post te: quoniam ego in flagella paratus sum, & pa-  
 tens ad sustinendum: unguentum enim in plagis tuis, & in vulneratione sanita-  
 tem reperiam. Quis virum sanctum Bernardum, tanta viræ innocentia, tot  
 laboribus pro Dei gloria, Ecclesiæ pace, tam foriter & feliciter obitis, de sui  
 corporis infirmitatibus acerbissimis loquentem audire, & à lacrymis temperate  
 possit, quando fratres sic alloquitur? *Infirmas mea pausandum indicit, sicut &  
 sæpe facit. Sed quid? Ego in flagella paratus sum, sciens me adhuc longè recipere impari  
 meritis. Vapulem, sanè vapulem, ut malè operans, si forè verbera in merita reputentur:  
 fortassis miserebitur flagellato, qui bonum in me non inuenit quod remuneret, spon-  
 sus Ecclesiæ Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in se-  
 cula. Amen.*

## C A P V T XXVI.

*Quo veritatis impulsu, nos vbiq̄ accusare possimus?*

**C**um diuersa nos ipsos accusandi genera recensuerimus, non potest in ips  
 omnibus vna & eadem veritatis esse ratio, sed accedendum est ad singula,  
 & quid in eis lateat edifferendum. Sic igitur nostri accusationem dispartiti-  
 mus, ut quæ diximus, in triplicem rerum ordinem seu occasionem referri pos-  
 sint; nempe si quacumque oblata, si alijs nos inquisantibus, si quouis in euen-  
 tu, frustratione, peccato, & rebus aduersis, reperimus vnde in nos culpam con-  
 feramus: quæ singula qua veritate nitantur, declarandum nobis est.

Et quidem, quod est quibusuis in sensum & oculos incurrentibus, occasione  
 nos ipsos deprimendi, docendi, arguendi reperire possimus, non habet opinor  
 res ista controuersia: quidquam, dum tantum, & ea quæ cap. 23. dixi, probè intel-  
 ligantur, & veræ humilitatis desiderio flagrans animus, quæ ad eam conducant  
 scrutari & sectari non pigritetur. Cumque nihil amplius iure desiderari posse  
 putem, non est cur agam pluribus.

At in alijs duobus modis haud paulò plus obsecritatis lateret: nam, quod ad  
 secundum attinet, quis nescit facillè accidere, ut reprehendentium feruor me-  
 tas veritatis transiliat, ipsoq̄; obiurgandi æstu veris falsa permisceat: quid? quod,  
 & facillè error intercedit, ut innocentem pro nocente habeas, & id vel aliorum  
 criminatio conficta, vel probabilis aliqua, sed tamen falsa coniectura persua-  
 deat: dubia pro certis, coniectanea pro compertis, conficta pro factis, pronis ad  
 deteriora credenda auribus, admittimus. Iam igitur, in quies, si ab alio, eius cri-  
 minis aut erroris insimulor, à quo sum omnino alienissimus; si vehementer, &  
 supra verum exaggeratur, quod erat alioqui leuissimum, ideoque toleratu per-  
 difficile pœnæ iniunguntur; qui fieri potest, ut ego me, vnà cum increpantibus,  
 illæsa veritate condemnem?



De perpeſſione harumce rerum, alius erit diſſerendi locus; nunc de veritate paucis; & primò quidem, veriſſima Dorothei ſententia reſpondeo; *Profectò ſi ſe quis cum Dei timore diligenter examinet, numquam omnino ſe inſontem inueniet, videbitque vel factò, vel verbo, vel ſpecie, aliquam à ſe occaſionem datam. Quòd ſi in nullo horum ſe tunc ſontem inueniat, proſectò alio in tempore, vel eàdem, vel diſſimili in re peccauerit.* Tum igitur, quoties nihil nobis ipsis parcendo, reos nos eſſe comperimus, veritati erit conſentaneum, vt nos quoque grauiter iaculemus: nec in animum eam excuſationis vmbra admittemus, quali ſupra verum, error noſter modicus, in immenſum, ex inuidentià augeatur: vbi enim, vel culpæ aliquid, vel ſaltem ſpeciem aliquam deprehendemus, (& vbi quæſo non deprehendemus, ſi ſeuerius inquirimus?) non eſt quod parcamus nobis, cum debeat eſſe perſpectiſſimum, perſpicaciùs alienis, quàm noſtris, & ſui amatoribus oculis, mala noſtra perideri. Ex quo id etiam conſicio, quod hîc valet plurimum; vt, quoties à tui amante, à Religioſo, à Præpoſito tuo, imò verò à quocumque, quem vitæ non omnino perditæ putes; alicuius non probè admiſſi facinoris argueris, id ſemper humiliter agnoſcas, credas non id illum à ſe vltro eè ſinxiſſe, ſed occaſione per te oblata in mentem eam tua opera veniſſe, cumque illo te pariter accuſes potiùs, quàm argumentòſè ſuſpicionem eam à te amoliri coneris. Licet enim id ipſe non aduerteris, quidni tamen tibi potiùs, quàm illi de te, fidem abroges? Et verò, quàm incurij ſumus noſtri obſeruatores? quàm multa nos præteruolant? quàm multorum dictorum factorumque non meminimus? quàm igitur procliuè & expeditum eſt, vt quamuis factum dictumue non meminerò, obiectanti tamen credam, minusque à me animaduerſum putem? Quòd ſi nulli harum exceptionum locum eſſe poſſe ſuſeris, ſed certo certius de falitate obiecti criminis conſtare: neque verò in tanta rerum humanarum varietate, id accidere poſſe negauerim: tum nihilominus & patientiæ eſt exercitatio ſeruanda, tacendo, perferendo, de nemine conquerendo, non recriminando, non denique innocentie patrocina anxie ambiendo; ac etiam ſe ipſum, ſi non ob iſtud, ac certè generatim ob ſimilia aut diſſimilia multa peccata accuſandi locus eſt ſemper, quaſi ſi in opinionem eam, illorum promeritis inuecti fuerimus, eaque ſint quæ ſic merere puniri. Sed hæc vt ad tertium modum pertinent, ita nos ad eum vocant.

Vbi equidem longè grauiùs inſtantem te vrgentemque audire mihi videor: Eritne vt tot in rebus quæ improuiſò immeritis accidunt, ſe quiſquam verè poſſit accuſare, rerumque à ſe alieniſſimarum cauſas tamen in ſe comperire? & vt plurimum enumeratione acrior inſurgas; Itane, inquis, ſiue volenti, ſiue nolenti, imò fugienti & præcauti mihi quid inciderit, ſi quid etiam ceteris publicè, ſeu priuatim, calu, indultia, lenius, durius quomodolibet euenerit; eruntne hæc tam multa, tam diuerſa, vnius eiusdemque ſui accuſationis lance penſanda? & vbi que in rebus còtrarius, vna & eadem, ſimplex ſibi conſtabit veritas; arden-



ti aestu torreantur infames agri, rigente gelu torpentia concrecant omnia, humusque glaciata feminibus neget exitum; bello, peste, fame ciuitates & regna atroci depopulatione vastentur; egone vt meis id tribuam peccatis? quis, id si fecero, non pro deridiculo habeat? Sed pergamus ad similia: si praematurè, mihi pergratus moritur amicus; si latrocinia, adulteria, factiones, & peccata graui impunè grassantur, si perditis, & à vera fide alienis hæreticis ex voto cedunt omnia, pertinacioresque erroribus adhærent, si quæ ad lætitiã comparabantur funestos exitus sortiuntur, optimorumque consiliorum deplorandi euentus existunt, si digni à reipublicæ Ecclesiæque gubernaculis amouentur, adinuentur indigni: si, in priuatis & singulorum erroribus, à sanatione medicus, à sectione phlebotomus, à lege Iureconsultus, ab artis præceptionibus artifex, imperitè recedit, denique in omni aberratione, frustratione, iactura, illato damno, eritne hoc in mei vnus caput congerendum? Quid? si abs Ecclesiæ hostibus in vinculis habeat, torqueat, & exquisitis tormentis de medio tollat, eritne hic quoque omnis in me vnus, peccatumque meum culpa conferenda?

Planè, quantum video, indulges animo, & prolixius obijcis, ac ita multa, vt non agrè possit eò referri, quidquid aliud humanitus occurrit; quæ si plenius explananda suscipiam, longius à proposito limite recedam; erit forsitan vbi aliquando id liceat; nunc paucis indicabo, vnde fiat satis.

Et quidem quod postremum attulisti, esserne tibi peccato tuo tribuendum, si in carcerem & mortem tuendæ fidei causa incideres? est mihi à ceteris planè seiungendum: tum enim gratiarum actioni locus est, gaudendumque, quod pro nomine Iesu te contumeliam pati donauerit Deus: & in rebus prosperè fluentibus, non est alius propriè se accusandi modus, quam si vel peccatis tuis agnoscas fieri, vt angustiore aluèo profuant, quæ ruptis aggeribus vnde quaque diffusius exundassent; vel agnoscas fuisse quidem, ob peccata tua, vnde bona sua cohiberet Deus, at maluisse bonum Dominum misericordiam superexaltare iudicio, quare misericordias Domini & cantas, & cantabis in æternum. Qui affectus, longè est optimus, & eum per familiarem habeas opto.

In eis verò, quæ passim contingerent, frustrationibus, vel iacturis, & id genus erroribus, nihil vrgeo vt te incutes, nisi quæpiam ratione ad te spectant, vt sunt communia in tua repub. damna, vt Ecclesiæ res aduersæ: at si sunt qui ad te nihil attinent, quorumque nihil est quod in te redundet, nihil opus est vt calamitatum, quibus incurfarentur, te reum facias.

Iam, si in peccata tentationesque incurris, si à virtutum quas per optates consecutione arceri te sentis, ac propè inuitus cupiditatum vinculis implicaris: certè hîc satis patet, verissimè acclamari posse, Peccatum meum contra me est semper. Quod si alios vel peccantes cernis, vel peccatis tenaciùs adhærescentes, vel etiam iniquitatem dominari, vt si hæresi inuestâ, Catholica pellatur; idem quoque tibi potes recinerè, quasi si solum peccatum tuum, tantum sit, vt tanta pe-



na, & in ceteros redundante puniendum sit, vel certe (quod facilius suaderi potest) tantum sit eius pondus, vt ipsius ad ceterorum peccata accessione communis mensura compleatur, & in vindictam iusta diuinæ iustitiæ ira concitetur. Sed & quicumque perspicacius id contemplari voluerit, ita reperiet, vix esse peccatum vllum, quod non sit vel peccati pœna, vel propiore aut remotiore aliquo modo à peccato ortum ducat. & quis nescit ab vno ingrati animi vitio, gratiæ fontes obtuari, & peccati genus omne manare?

Quod autem ad res aduersas, consiliorum frustrationes, desideriorum aberrationes, & alia id genus attinet, pronunciat vniuersè Dorotheus: *Verè, quid quid patimur, ob delicta nostra patimur: at sancti viri passi sunt, vel ob Christi Iesu nomen; vel vt virtutem suam in lucem ederent, ad multorum vtilitatem; vel vt premium suū maius apud Deum fieret: de nobis autem infelicibus quomodo possumus hoc dicere, qui quotidie peccantes, & passionibus nostris vitiiisq; obsequentes, relinquimus viam rectam, quam patres nostri dixerunt in vera suis accusatione consistere?* Sed & D. Augustinus inquit, *Deus meus, vbiq; presens est, vbiq; totus, nusquam inclusus, qui possit adesse se- cretus, abesse non motus. Ille cum me aduersis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemq; mihi aternam pro toleratis pie malis temporalibus seruat. Quare qui te Sanctorum numero inserere necdum audes, nihil est cur in quibusuis aduersis, peccatorum tuorum pœnas exigi, vel dubites, vel verearis agnoscere.*

Denique & potissimè, oportet vt hæc omnia diuinæ providentiæ seria contemplatione nitantur, quam nostri causa sic omnia dispensare credam, vt in omnibus, vel misericordiâ me alliciat, vel iustitiâ terreat, meque vnum in re- rum omnium ordine & spectet & velit, *Nec enim vniuersis deest cum disponit vnum,* ait D. Gregor. *nec vni deest, cum disponit vniuersos.* Et, vt D. August. *nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore & inuisibili aula summi Imperatoris, aut iu- beatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam prauiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaq; re- publica.* Benè igitur animaduertère Sancti, aduersa omnia vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris peccatis esse tribuenda; præteritis, vt purgentur; præsentibus, vt purgentur & expellantur; futuris, vt quæ immincebant arceantur, atque ita vbique dicere possumus, Peccatum meum contra me est semper. Malorum etiam publicorum à nostris peccatis esse causam petendam, audi quam alièueranter D. Chrylost. *Cum reliqua nostra negotia, tum respublica malè geritur, quid causa est? Inopia, inquis, consilij. Imò nostrum peccatum, & errorum nostrorum vindicta, illa sursum deorsumq; omnia turbauit, omnis generis mala inuexit, hostes ad bellum armauit, nobisq; superiores effecit: non aliunde examen malorum in nos inunda- uit & irruit. Pergit que vir sanctus asserere, peccata nostra esse causam cur magi- stratus & duces imperitos nanciscamur, & eadè euentura etiam si sapientiores & sanctiores fuerint. Dein addit; Sed quid ego cum vniuersus populus peccat, hoc euenire*

M m

v r g e o ?



vrgeo: cūm & paucorū peccata, imò etiam vnus peccatū, eorum qui iuste res administrant, libertatem apud Deum impediāt: quod postquam latè probauit, concludit, Hoc igitur cūm teneamus, quotiescumque aduersæ res nos affligunt & premunt, delictorum & scelerum nostrorum penas à nobis exigi statuamus: quotidieq; criminum nostrorum instituto examine, non alijs, sed nobis ipsis horum culpam acceptam feramus. En auctoritates omni exceptione maiores, quibus vt nihil detrahā, nihil super his addam.

## C A P V T XXVII.

*De quarto humilitatis exercitio, quod in rebus & officiis ad speciem vilibus versatur.*

Solet in omni, non virtute tantū, sed arte, peritia & scientia obseruari, vt suis exercitationibus acquirantur quæ illarum propriæ sunt, eandemque naturam induunt: Mathematicus lineas, problemata, figurarumque demonstrationes cogitatione pertrahit: Medicus morbos, corporis partium sūm, ciborum, succorum, temporum energiam dispicit: Miles equos, enses, arma pertractat: Iuris peritus legum scita, iura populorum, regionum mores, roboratæ vim consuetudinis, æquitati naturæ comparat. Denique argutatur Dialecticus, pangit versus Poëta, orationem meditatatur Orator. Quid igitur? annon fortia qui fortis, casta qui castus, humilia exercebit quicumque verè volēt esse humilis? Profectò id est vel maximè necessarium: cūm enim superba naturæ propensione perpetuò vrgeamur, nisi contra edacem & assiduam torrentis istius alluionem humilitatis vallum obfirmauerimus, perfacile fiet vt pedetentim excessum corruat, totiq; superbia & vanitate exundante diffluamus. At si exercendæ humilitati, quasi nouo aggeri comportando insudauerimus, ita fiet vt quod antè partum fuit magna securitate seruare, & etiam quasi ex quadam frumentatione militari nouum commeatum magna nostra voluptate comportare possimus.

Hoc erat ipsum quod in præclara de humilitate oratione, Magnus docuit Basilius, quando inquirens, quam potissimè ratione ad salutarem humilitatem, pernicioso superbiæ tumore relicto, peruenire valeamus? *Si, inquit, per omnia ipsam exercuerimus, & nihil neglexerimus, tanquam hinc aut inde damnum nos perpassuri.* Hoc est, omni data quantulacumque eius exercendæ occasione, ne id neglectim prætereire patiamur, ignaui scilicet naturæ torpore blandiente, & ex omni tenui illa exercitatione nihil damni emerfurum suadente; quibus profectò vocibus nequaquam accommodandæ sunt aures, sed per omnia vbi cumque dabitur exercenda humilitas. Rationem reddit his verbis: *Nam anima suis euadit similis studiis ac exercitijs, & ad ea que facit efformatur, ac coram quasi*